

licet huius mensis die, velint interesse panegyri, nostrisque sua pro Salute PRINCIPIS SERENISSIMI vota, miscere, nosque DE HISTORIA WIRTEMBERGICA EX NVMIS ILLVSTRANDA dicturos beneuelle audire: paucula etiam, ex more praefari, eadem muneris ratione adstringor. Incidi, de argumento sollicitus, in eam cogitationem, vt crederem, neque alienum fore ab hoc instituto, neque lectoribus plane ingratum, si nonnulla, quae ad historiam *praestantissimi, amplissimique*, quod tuetur Serenissimus Princeps ac Dux Wirtembergiae nostrae Carolus numophylacii facere videntur, hac pagina percensuerim. Non etenim minor aut fructus aut gloria redundat in summos imperantes, ex hoc quo litteras ornant & tuentur studio, quam ex reliquis in Republica bene gestis. (a) Et potiori quidem jure hanc sibi vindicant principes gloriam, quod ea non est priuatorum aut cura aut felicitas, vt ipsi, angustioribus circumscripti limitibus, gazas instruere possint numorum digna copia refertas solaeque principum

(a) Hoc post alios prolixius, demonstrare velle, effet actum agere, de fructu vero & gloria, quem ex numismatica scientia capere possunt Imperantes summi, egit praecipue Cel. Vir, GISBERT. CUPERVS in Differt. singulari, *de utilitate, quam principes ex numismatibus capere possunt*, quae iuncta comparuit excell. eiusdem libro de *Apotheosi Homeri*. Amstelod. 1683. 4.